De codice B Plautino

Dissertatio inauguralis

quam ad philosophiae doctoris nomen

ab amplissimo philosophorum ordine Berolinensi

rite impetrandum

proposuit

Hans-Eberhard Wilhelm

Berolinensis

Dies promotionis: VII. Id. Mai.

Examen rigorosum habitum est XII. Kal. Mart.

1932

Typis expressit Conradus Triltsch Wirceburgi

De dissertatione probanda rettulerunt:

D. Dr. E. Norden, prof. ord.

Dr. L. Deubner, prof. ord.

PIAE MEMORIAE
PATRIS OPTVMI

Eduardus Norden cum in scholis dixisset, de memoria eorum qui Palatini vocantur Plauti librorum quid sit, parum esse adhuc exploratum, primus nos impulit, ut paulo accuratius in hanc rem inquireremus quidque efficere possemus experiremur. E quo studio haec orta est dissertatiuncula, cuius quasi summa est ut diiudicemus, quid valeant Veteris codicis lectiones quae dicuntur singulares; quo nomine eos locos comprehenderim, ubi contra Ambrosiani reliquorumque librorum Palatinorum consensum Vetus codex integra Plauti verba editoribus visus est exhibere. Quos ad locos indagandos, ut erat consentaneum, usi sumus eis editionibus nobilissimis, quarum alteram confecerunt Ritschelii discipuli, alteram Fr. Leo; in singulis autem locis examinandis, ut usum loquendi Plautinum cognosceremus similitudinesque vel differentias inveniremus, adhibuimus Lexicon illud Plautinum quod comparavit G. Lodge; quod opus multis usurpatum paucis laudatum quanto ad hanc commentationem conscribendam usui fuerit, dici vix potest. Paulum enim Pauli legitimum esse interpretem quondam apud theologos didicimus; quod praeceptum ad Plautum nobis transferre liceat, cui comparabilem vix quemquam eorum qui Latine scripserunt invenias. Haec ergo operae nostrae subsidia semel commemorasse sufficiet; ceteroquin si quos libros auctoresve secuti sumus, eos suo quemque loco in adnotationibus nominavimus.

Nunc, antequam ad propositum veniamus, paucis videtur praefandum esse de codicibus Plautinis universis quaque inter se ratione coniuncti sint.

De memoriae Plautinae condicione.

Ex archetypo (α) omnium quos habemus Plauti librorum duae quarti fere saeculi recensiones quas dicimus fluxerunt, quarum alterius unicum extat exemplar codex ille nobilissimus Ambrosianus (A); ceteri autem libri alterius recensionis sunt, quam solemus appellare Palatinam (P). Quos libros Palatinos omnes originem duxisse ex uno codice minusculis litteris exarato post Fridericum Ritschelium [1])

[1]) In epistula ad Godofredum Hermannum data (Op. phil. II p. 193.): „*Vielmehr erklärt sich die Gestalt des Textes auf dieser Stufe*“ — de Palatinorum condicione dicit — „. . . *einerseits aus dem Umschreiben der Uncial- in die Cursivschrift* . . .“

dixerunt et M. Niemeyer [2]) et Fr. Leo [3]) nullis prolatis argumentis, ratione probare conatus est W. M. Lindsay [4]), cui tamen nescio quo modo accidit, dum exempla litterarum commutationis profert, quibus indicetur Palatinorum originem minusculis litteris conscriptam fuisse, ut ea ipsa exempla nihil ad rem valeant. Illis enim locis omnibus B veram scripturam exhibet, CD — agit enim de posterioribus tantum fabulis, quae traduntur BCD libris — ita corruptam habent, ut minusculis litteris menda esse illata pro certo haberi possit. Sed quid eo, quaeso, comprobatur nisi eum, unde CD libri — non B — ducti sint, codicem minuscularum fuisse litterarum? In idem rationis peccatum saepius incidit etiam in ea quam deinde proponit *contractionum notabilium tabula,* qua multos locos enumerat, quorum corruptelae sic ortae videntur esse, ut verborum compendia vel notas mále librarius intellegeret. Nam hic quoque, si quid huius generis mendum extitit in solis aut B aut CD libris, omnium librorum originem parum claram accusare non dubitat. Quamquam his seiunctis exemplis satis apud eum restat locorum quibus, cum BCD codicum communis sit corruptela, re vera indicetur in archetypo illo adhibita fuisse talia compendia, i. e. scriptura Carolina eum exaratum fuisse [5]).

Sed nobis, quo plane rem absolveremus, colligere lubuit exempla litterarum commutationis, quibus per omnes fabulas omnium Palatinorum archetypum minusculis exaratum fuisse litteris comprobaretur. Quorum exemplorum potissima in appendice enumeravimus; quae qui consideraverit, ei dubium non erit, quin omnes Palatini ducti sint ex uno codice minusculis litteris conscripto; qui ut distinguatur a recensione illa Palatina (P), quam IV. fere saeculo confectam esse supra monuimus, notam accipiat *p.* Is ante saeculum fere octavum vix potest esse conscriptus; sed haud falso coniciemus ea aetate eum esse confectum, cum sub Carola Magno eisque qui successerunt regibus antiquitatis studia diu neglecta denuo florere coeperunt. Ceterum quoniam Palatinorum haec est condicio, ut parte eorum contineantur VIII priores tantum fabulae, altera posteriores tantum XII, B autem liber, qui unus continet omnes quae traduntur Plauti

---

[2]) M. Niemeyer, De Plauti fabularum recensione duplici ⟨Diss. Berol. 1887⟩, p. 3/4. dicit *exemplum recensionis Palatinae, quod comparatis libris BCD animo informare liceat, scribarum erroribus obscuratum* fuisse. Aliquanto post ⟨p. 10.⟩ idem exemplum *saeculo undecimo tribuendum* censet ⟨re tamen vera nono vel decimo ineunte conscriptum esse necesse est, si quidem B liber decimi saeculi est, cf. quae Leo⟩.

[3]) Plaut. Forsch. p. 1: „*Wir besitzen eine Handschrift des 4. oder 3., eine andere des 10. oder auch 9. Jahrhunderts . . .* "

[4]) Lindsay, An Introduction to Latin Textual Emendation ⟨Lond. 1896⟩, Appendix A ⟨„The Archetype of the Palatine MSS. of Plautus"⟩ p. 103/7.


[5]) Cf. praecipue Mi 1335 Mo 238 Men 443 Mi 542 Men 452 Tru 308

fabulas, ipse quoque ex his partibus duabus compositus sit — quod evicit Fr. Ritschl in Prolegomenis [6]) —, hoc ignorari nolim, posse etiam iure animo informari non unum *p* librum, verum duos minusculis litteris exaratos redeuntes ad unum maiusculae scripturae exemplar, a quorum altero (p 1) VIII fabulas priores exhibente ducti sint VEJ libri cum BD codicum partibus prioribus (B 1 D 1), ab altero (p 2) reliquas fabulas continente BD codicum posteriores partes (B 2 D 2) cum C libro. Igitur ne levius agere videamur, in hac commentatione p 1 et p 2 notas usurpabimus; quibus qui signati sunt libri, ii unius atque eiusdem *p* codicis partes fuisse certe potuerunt, num fuerint in medio relinquo.


Restat ut, qua inter se singuli qui extant libri ratione coniuncti sint, quam brevissime exponamus. In posterioribus fabulis, quae traduntur in BCD codicibus, ad hunc modum saepe memoriam discrepare constat, ut B 2 veram vel vero propiorem scripturam exhibeat, CD 2 communem habeant falsam vel magis corruptam; unde colligitur CD 2 libros ductos esse ab uno codice e quo non sit ortus B 2. Hunc cum *η* nota in Prolegomenis [7]) signaverit Fr. Ritschl, cur neque ipse neque qui postea Plautum ediderunt pro CD librorum consensu hac nota usi sint, satis mirari nequeo. Simili modo VIII priorum fabularum libri VE inter se coniuncti sunt, quorum origini communi *ζ* notam Ritschelius indidit. Quem *ζ* librum cum D codicis parte priore magis quam cum B 1 cognatum esse haud scio an e compluribus locis concludi possit, velut quod Aululariae versum 155., quem exhibet B, omittunt et D et E (V non legitur), vel quod *est* verbum in eiusdem fabulae versu 102. omittunt DE (V n. l.), *i* verbum in versu 458. omittunt DV (E n. l.). Atqui cum versus 155. similiter desinat atque is qui antecedit, casu quoque ac forte fieri potuit, ut in utroque libro propter homoeoteleuton omitteretur. Item quoniam *est* verbum positum est in fine versus 102., *i* autem verbum unam tantum habet litteram, tam facile fieri poterat, ut in utroque libro intercciderent, ut ex his locis perpaucis de D libri memoriae condicione iudicare minus audeam. Maioris autem ponderis qui sint, eos locos repperire non potui; proinde, donec certius aliquid exploratum sit, hanc quoque in suspenso rem relinquamus.

Sed ut summam faciamus: Quae inter Plauti libros Palatinos ratio intercedat, aut hoc illustratur stemmate:

[6]) Prol. p. XXIX. (= Op. phil. V p. 293.)
[7]) p. XXXVII (= Op. phil. V p. 300.)



aut hoc:



Nos quidem, uti diximus, cautius nobis agere videmur, si eo utamur stemmate, quod inferiore loco posuimus. Ceterum — quod est maximum — hoc tenendum est: Si BD ζ vel B η liborum scripturam conferamus, ea tantum recensendo restitui certo posse, quae fuerint in p 1 vel p 2 (aut x vel y); quae congruere cum ea scriptura, quae fuit in P, plerumque veri est simillimum, nusquam necessarium.

Haec sunt, quae in commune de libris praedicenda existimavimus. Nunc ad propositum veniamus.

De B libri lectionibus singularibus.

B libro si rectum inter ceteros locum attribuimus, necesse est eas eiusdem libri lectiones, quibus repugnet consensus reliquorum (AD ζ vel A η), nihil valere ad archetypi (α) scripturam restituendam, sed habendas esse aut pro corruptelis aut coniecturis, nisi forte fieri poterat, ut et in Ambrosiano et in D ζ vel η libris uno atque eodem modo scriptura corrumperetur; qua excepta condicione nusquam B contra reliquorum consensum archetypi verba potest exhibere. Sed singulares illae B libri lectiones si coniecturae sunt, possunt esse aut emendationes, cum falsa archetypi scriptura — quam exhibent AD ζ vel A η — divinando sanatur ipsaque Plauti verba in archetypo

depravata restituuntur, aut falsae coniecturae. Ergo quattuor singularium lectionum genera discernenda sunt:

1. Corruptelae (quod quidem genus frequentissimum esse consentaneum est).

2. Servatae archetypi scripturae (quae nequiverunt existere nisi ubi et in A et in D ζ vel η libris una eademque corruptela facile poterat oriri).

3. Emendationes.

4. Falsae coniecturae.

Si autem in B codice inveniantur singulares lectiones, quas his quattuor generibus subiungere non liceat — emendationes potissimum, quas de suo ingenio fecisse hominem saeculi IX. vel X. minime sit credibile — si talia, inquam, inveniantur, certe necesse sit concludamus has lectiones petitas esse ex aliquo codice nobis ignoto nec oriundo ex illo quem diximus archetypo (α), sive, ut aiunt, duo exemplaria fabularum Plautinarum, alterum Palatinae recensionis, alterum ignotae originis, esse contaminata.

Nunc ut, sitne hoc factum necne, discernere possimus, singulos singularum fabularum locos examinemus. Mittimus autem minutias orthographicas, velut hoc, quod in B legitur *ebrii,* in ceteris *ebri* (Mi 836), vel quod in archetypo fuit *hostium,* cum recte B scribat *ostium* (Mo 768 St 449), vel quod inter se confunduntur formae verborum *accedendi et arcessendi* (Cas 604) — quo tamen loco eam quae in archetypo videtur fuisse *accesserem* formam bonam atque antiquam fuisse posse monuit F. Buecheler [8]) — vel *reddendi* et *redeundi* (Ps 1326), vel quod B servavit scripturam *qurate,* cum et A et η exhibeant *curate* (St 145), item quod B recte habet *quot,* ceteri *quod* (Ru 564), vel *quit,* ceteri *quid* (Tri 504). Mittimus etiam eos locos, quibus B codicem exhibere corruptelam manifestum est. Quibus locis exceptis nonnullae restant lectiones singulares, de quibus deinceps agemus eum servantes ordinem fabularum, qui est in Palatinis. Ceterum memorabile sane videtur, quod in priore B libri parte, quae fluxit e p 1 (i. e. inde ab initio usque ad Epidicum), nullam huius generis scripturam indagare potuimus; de qua re infra [9]) dicemus.

a) Mo 577.

Librorum hoc loco memoria haec est:

„*Ego hercle vero clamabo. — Ah, gere morem mihi.*“

clamabo A η: *clamo* B.

[8]) Buecheler Mus. Rhen. 39 (1884), p. 414.

[9]) p. 20.

In archetypo fuisse *clamabo* memoriae condicione probatur; nam et in Ambrosiano et in η libro eadem ratione *clamo* mutatum esse in *clamabo* parum videtur credibile. Sed illud quod habuit archetypus, quamquam bonam efficit sententiam, — clamat enim danista post v. demum 587. partem priorem, id quod evincit Tranionis responsum, quod est: „*Euge strenue*", — videlicet per dissimulationem laudat danistae contentionem et latera — „*Beatus vero es nunc, quom clamas*" (cf. quae Leo ad l.) — tamen ab editoribus repudiatum est, credo iudicantibus, cum duobus locis Plautinis (Men 216 516) „*ego hércle véro*" legatur iusto accentu, uno autem (Ps 626) „*mihi hércle véro*", si hoc loco posterioris iambi correptione facta recitetur „*ego hércle veró*" e. q. s., parum elegantes evenire numeros. Attamen, si sequaris eam doctrinam, quam proposuit E. Fraenkel in libro qui est de ictu et accentu, obtinere possis omnia recte atque ordine sese habere. Nam in eo de quo agimus enuntiato omne pondus non est in praedicato neque in subiecto, verum, id quod sane raro fit, in iis ipsis de quorum agitur pronuntiatione adverbiis duobus affirmativis, quibus adhibitis fenerator asseverat se quae servus vetuisset facturum (verte Germanice: „Jawóhl werde ich schreien" vel similiter). Qui cum loquatur maxima cum emphasi, nihil est quod ictum inusitatum miremur. Itaque haud scio an non casu factum sit, quod uno loco Terentiano, qui est in exitu Phormionis (v. 1054; cf. quae Fraenkel p. 288. adn. 1.) matrona, cum parasitus dixerit, si virum dolere vellet, sese ad cenam vocari oportere, laetabunda exclamat: „*Pól veró voco*" contra usum Terentianum accentu neglecto (verte: „Jawóhl lade ich dich ein"); quem locum quod Fraenkel explicare minus potuerit, miror.

Verum si non probes illam doctrinam viri de Plauto optime meriti, de qua dubitari non sine causa posse iudicavit P. Maas [10]) dicasque omnino congruere verborum accentum ictumque versuum minime esse necessarium, tanto minus est quod versum reprehendas; nam anapaestus qui vocatur scissus, quoniam *hercle vero* quasi unum efficiunt verbum, non est agnoscendus.

Ceterum ea quam habet B scriptura orta esse potest aut e mera memoriae corruptela aut — id quod magis crediderim — e coniectura eius, qui offenderat in eadem qua huius quoque aetatis editores numerorum difficultate. Nam aetate Carolina in Plauto legendo numeros etiam diverbiorum saltem observatos esse ex eis de quibus infra [11]) agemus locis cognoscemus.

[10]) D. Lit.=Zeitung 1929, col. 2244=47.
[11]) p. 11. sqq.

b) Mo 786.

Hoc loco B liber solus manu prima scripta haec exhibet: „*Quod me miseras, adfero omne impetratum.*"

A autem et η pro *quod* habent *quo;* quae scriptura si vera sit, *quo* idem debeat significare atque „*ad quod*" sive „*ad quod impetrandum*", simili ratione ut saepe apud scriptores Latinos pro relativi pronominis cum praepositione forma poni solet adverbium relativum, velut pro *ex quo* scriptum est *unde* seu pro *in quo ubi* et multa huius modi. Atqui apud Plautum si *mittendi* verbo adicitur adverbium locale — quod accidit triginta fere locis, quos exscriptos invenias in Lexico Plautino (vol. II. p. 74.), semper — uno Curculionis loco de quo statim excepto — proprio sensu significat locum, unde vel quo mittatur aliquis, nusquam cum translatione usurpatur. Exempli causa eos locos exscribimus, quibus adicitur *quo* adverbium; qui sunt hi:

Cas 790: *Ego eo quo me ipsa misit.*

Men 669: *Quasi non habeam, quo intro mittar, alium meliorem locum.*

Pe 197: *Cesso ego ire quo missa sum?*

Etiam his locis, quibus *quo* idem valet atque *ad quem,* servatur significatus localis:

Mer 803: *Era quo me misit, ad patrem, non est domi.*

Pe 202: *Sophoclidisca haec peculiarest eius quo ego sum missus.*

Iis autem locis, ubi, qua de causa mittatur aliquis, pronominaliter dicitur, Plautus uti solet accusativo neutrius generis; qui loci sunt hi:

Am. 165: *Nonne idem hoc luci me mittere potuit?*

Ba 980: *Quid? quod te misi, ecquid egisti?*

Mo 747: *Nunc hoc quod ad te noster me [[me]] misit senex.*

Ps 639: *ut id agam quod missus huc sum.*

Quorum locorum primo tertio quarto Plautum adhibuisse pronominis relativi formam neutralem evincitur eis quae praecedunt demonstrativis. Item ei verbo, quod quasi complementum est verbi *mittendi* — *arcessendi* dico verbum, — nullo loco adverbia localia adiciuntur sensu finali, duobus, qua de causa arcessatur aliquis, redditur pronominis accusativo neutrius generis; qui sunt hi:

Men 763/4: *nec, quid id sit, mihi certius facit, quid velit, quid me accersat.*

St 266: *demiror quid illaec me ad se arcessi iusserit.*

Nec aliter res se habet in verbis *eundi* et *veniendi.* Nam his quoque nusquam adverbia localia adiciuntur cum translatione finali; velut post *eundi* verbum tricies fere, post *veniendi* quinquies occurrit

quo adverbium [12]); ubi nusquam aliud significat nisi locum, quo quis eat vel veniat. Quod etiam dici potest, sicut supra in verbo *mittendi*, de eis locis, quibus *quo* idem significat atque *ad quem;* qui sunt hi:

Cap 194: *ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.*

Mi 119: *prius perii quam ad erum veni, quo ire inceperam.*

Etiam hoc Mercatoris loco (885):

„*Quo nunc ibas? — Exulatum,*" sensus localis servatur; cf. quod sequitur percontatio: „*Quid ibi faceres?*" Contra, qua de causa aliquis eat vel veniat si pronominaliter dicitur, eo quem expectamus accusativo Plautus utitur; cuius usus testimonia sunt hi loci:

Cu 456: *Quid hoc quod ad te venio?*

Ep. 456: *Animum advorte, ut quod ego ad te venio (advenio A) intellegas.*

Men 677: *Scin quid est quod ego ad te venio?*

St 127: *Sed hoc est quod ad vos venio.*

Cas 106: *Ego huc quod veni in urbem si impetravero . . .*

Poe 950/1: *Deos deasque veneror . . . ut, quod de mea re huc veni, rite venerim.*

Indicasse satis erit eos locos, quibus ab *eundi* vel *veniendi* verbis pendeat *quid* finale:

Ba 907 Tri 10

Am 130 346 377 As 392 Cu 339 Poe 992 1010 Ps 593 St 247 Tri 67.

Notabilis locus quidam Militis est (1158), quo scriptum est *id* finale; qui est:

Id nos ad te, si quid velles, venimus.

His omnibus locis unus obstat, qui est in Curculione; quo loco in p 1 libro — nam Ambrosianus non legitur — scriptum fuit (327): „*quo te misi, nihilo sum certior.*" At recte hic agnovisse corruptelam et restituisse *quod* videtur Guietus, atque etiam eo de quo agimus Mostellariae loco *quod* pro vera scriptura habendum est, cum nusquam alias, quo spectet missio, adverbio pronominali Plautus eloquatur, paulo autem ante dicat (747): „*hoc quod ad te noster me misit senex.*"

Sed scripturae varietas quo modo exorta sit, optime sic explicatur, ut in archetypo *quod* fuisse, idem in p 2 libro statuamus. Nam *quo* corruptelam seu mavis dicere coniecturam, cum apta librariis esse videretur ad verbum *mittendi*, et in Ambrosiano et in η codice facillime fieri potuisse nemo negabit; sin autem in archetypo fuisse

[12]) Cf. Lex. Plaut. I p. 502. II p. 837.

quo, B libri scripturam coniectura repertam esse iudicemus, hoc ita factum esse necesse sit, ut ceteros quos supra contulimus locos corrector compararet; quod num saeculo nono vel decimo cuiquam in mentem venire potuerit ut faceret, dubito.

c) Men 242.

In Ambrosiano haec leguntur:

„*Ergo istuc quaero certum quid id faciat mihi*";

B autem et D pro *quid id* exhibent *qui,* C *quid.*

Mirum fortasse videbitur quid sit, quod hunc locum, cum agatur de B libri lectionibus singularibus, proferendum arbitremur; nam quoniam consensu BC sive BD librorum p 2 codicis scriptura solet restitui, hoc loco non B sed C singularem lectionem videtur exhibere, quae quidem, cum nihil valeat ad p 2 libri scripturam recuperandam, prorsus eliminanda sit. Sed aliter rem sese habere eo probatur, quod Ambrosiani scriptura cum ea quae est in C ratione quadam coniuncta videtur esse; quo fit, ut haud falso liceat iudicare in η libro atque etiam in p 2 fuisse *quid.* Quod si ita est, necesse est eam scripturam quam habent B et D libri utrubique coniectando esse inventam; quae coniectura, si *quid* exhibebant p 2 et η, facillime poterat fieri. Simili ratione in Bacchidum versu 482. eam scripturam quam exhibent A et D libri — quae est *manu* — in archetypo fuisse crediderim, *manum* autem, quod habent BC, utrubique divinando inventum esse. Quae scriptura siquidem non pro tradita habenda est, non plus valet quam aliae quae fieri possunt coniecturae; quarum eam quam fecit Anspachius — coniecit autem *manus* — praeferendam existimaverim; cf. v. 480. Ceterum possis etiam iudicare *manum* integram esse scripturam, quam servaverint et archetypus (α) et p 2 et η liber, depravaverint et A et D; quae corruptela in utroque libro facillime potuit existere, nam *cum* coniunctionem, quae praecedit, per errorem esse praepositionem opinari quivis librarius potuit.

Sed redeamus ad eum de quo agitur Menaechmorum locum; quo loco, quia nullam intercedere rationem inter C libri et Ambrosiani scripturam vix est credibile, statuendum videtur, uti diximus, in p 2 fuisse *quid;* quod si conferemus cum illo *quid id* quod habet A, non dubitabimus quin in archetypo fuerit *qui id.* Haec autem scriptura quam habeat sententiam, statim intellegitur, si modo recte distinguimus hoc modo:

„*Ergo istuc: quaero certum qui id faciat mihi*" e. q. s.

Quo loco *istuc* pronomen non, ut assolet, id significat, quod ad

alteram personam quacum loquare pertinet, verum demonstrat ac praeparat insequentia. Qui usus quamquam apud Plautum non ita frequenter occurrit, tamen nonnullis exemplis confirmari potest [13]). Velut est in Aulularia (263):

„*Numquid me vis? — Istuc: i et vale,*“

et in Bacchidibus (205):

„*Ut istuc est lepidum: proximae viciniae*
Habitat.“

In Casina autem (584):

„*Vitium tibi istuc maxumum est: blanda es parum.*“

et in Trinummo (913):

„ . . . *Fieri istuc solet,*
Quod in manu teneas atque oculis videas, id desideres.“

Hic autem pronominis usus etiam eo de quo agimus Menaechmorum loco videtur agnoscendus. Menaechmus enim indignabundus haec fere dicit: „Ergo quoniam nugas agere me dicis, qui fratrem quaeram, istuc accipe: non iam fratrem quaero, verum eum, qui id pro certo mihi possit affirmare,“ — nunc non, id quod expectamus, pergit: „de fratre quid actum sit“, verum praeter opinionem: „eum plane perisse.“ Hanc enim notionem habet *emoriendi* verbum, quoniam *e* praepositione simplicis verbi vis augetur; eodem verbo composito Plautus utitur loco simili qui est in Trinummo (42). „Tum demum,“ inquit, „quaerere desistam.“ Quae quidem omnia ridicule Plautum voluisse dicta pronuntiataque cum indignatione comica primum eo probatur, quod non multo minus difficile atque ineptum est talem hominem quam fratrem quaerere, deinde eo, quod haud facile quisquam serio tantum iter se suscepisse dicet ea de causa, ut comperiat fratrem interisse. Ceterum totum locum inde a versu 240. usque ad *aliter* (245) non in exemplari Graeco fuisse, sed ab ipso Plauto insertum esse iudicaverim; quod factum esse indicatur cum eo, quod repetuntur verba versus 240. *(invenisses, si . . ., iam diu* ~ *invenissemus iam diu, si . . .)* [14]),tum eo, quod per totam scaenam Menaechmus nihil dicit ridiculum excepto uno loco (268), quo loco annominationem a scriptore Latino profectam esse constat. Apud auctorem Graecum ergo servus tantum videtur iocularia fudisse, dominus egisse severe.

Sed haec hactenus; vereor enim ne nimis a proposito disputatio

[13]) Cf praeter Lexicon Plaut. (I p. 857 sq):,I. B. Hofmann, Lat. Umgangssprache (Heidelberg 1926).

[14]) De quo indicio primus E. Fraenkel (Plautin. im Plaut. p. 111 sqq.); „Schlußrepetition" dicit Wendling in eo libello cui inscribitur „Das Gesetz der Einschaltung etc." (Tübingen 1925) p. 6.

digrediatur. Hoc tantum monitum velim, posterioris eius de quo agimus enuntiati partis similem occurrere structuram in Pseudolo (598), quae est:

„*Nimis velim, certum qui id mihi faciat,*
Ballio leno ubi hic habitat."

Nam ibi quoque id quod certum fit primum anticipatur pronomine *id*, tum enuntiato explicatur. Pro *qui id* autem, quod in solo C libro divinando restitutum videmus, in archetypo fuit *quid.*

d) Mi 211.

Hoc loco nobilissimo veram scripturam, si omittimus falsam verborum separationem, solus exhibet B; nam ibi leguntur haec:

„*Nam oscolum natum* (i. e. *os columnatum) poeta esse in ⟨d⟩-audivi barbaro*";

A autem et η exhibent *osculum natum.* Quae B codicis lectio singularis eius generis videtur esse, quod secundo loco posuimus; nam insolentissima illa iunctura *os columnatum* tam facile mutari poterat in *osculum natum*, ut hoc tantum mirum sit, quod non in B quoque libro magis sit depravata; iam enim corrumpi coepta est, cum male verba librarius dirimeret. Ergo de librorum memoria sic iudicari potest: Archetypi scripturam, — quae fuerit *os columnatum* — servatam fuisse in p 2 codice, verbis fortasse iam male separatis; hanc integram reddere B librum, in η eodem modo esse depravatam quo in Ambrosiano.

Verum si forte nolis arbitrari hac quam indicavimus ratione veram archetypi scripturam in Veterem codicem pervenisse — quod certe rarissime solet fieri — possis etiam dicere verba Plautina, cum in archetypo depravata sint, emendata B librum exhibere; nam ex eis qui praecedunt hic versus corrigi poterat. Quo posito de falsa verborum separatione sic iudicandum est: In eo unde B descriptus est libro — non enim ex ipso p 2 Veterem codicem descriptum, sed unum saltem exemplar, fortasse etiam compluria fuisse interposita docebimus infra [15]) — *u* litteram esse correctam *o* supra scripta; quod cum exscriberetur, librarium, quo modo verba separanda sint, non vidisse.

Sed utcumque res est, contaminatas hoc loco duorum librorum scripturas esse minime est necessarium.

e) Mi 607/8.

Versus sic exhibet B:

„*Sed speculabor ne quis aut hinc aut aleva* (i. e. *a laeva*) *aut dextera.*

[15]) p. 15.

Nostro consilio venator adsit" e. q. s.

In Ambrosiano, si Studemundo credimus, non fuit *dextera*, verum *a dextera;* in η legitur *a dextra*. In archetypo igitur atque etiam in p 2 libro fuit *a dextera;* nam et in Ambrosiano et in η nescio quo modo additam esse *a* praepositionem prorsus videtur incredibile. Sed haec archetypi scriptura mendosa est, quoniam abundat syllaba; emendatur autem facillime versus deleta ea praepositione quam omisit B. Quid nunc? Casune aliquo factum esse arbitrabimur, ut B iustum exhibeat versum septenarium? Parum hoc videtur probabile. Ergo iudicandum est consulto scripturam esse emendatam; quod tum etiam obtinendum sit, si duos libros contaminatos esse statuamus. Nam quis, quaeso, librarius sive corrector, etiamsi in altero codice scriptum viderat *dextera* omissa praepositione, hanc scripturam praeferendam esse iudicaret, nisi qui sensisset metrum esse corruptum?

Scimus quidem fore, qui negent fieri potuisse, ut saeculo nono decimove numeri causa versus Plautinus corrigeretur a librario vel etiam, quod semper licet praesumere, a lectore quodam. Quibus facile concedimus neminem illo tempore artis metricae Plautinae satis peritum fuisse, quoniam ne nunc quidem post tot summorum minorumque virorum studia res absoluta sit. At tamen dubito an ii, qui Plautum exscribebant, notitiam aliquam habuerint eorum saltem numerorum, qui saepius apud Plautum occurrunt. An exscripsisse tantum, non legisse existimamus? Eos autem, qui Plautum legebant, non omni qua fieri poterat doctrina fuisse imbutos?

Sed ut res etiam, non rationes tantum proferamus: inspice, quaeso alterum locum Plautinum, qui est in Sticho (289), ubi B coniecturam numeri causa factam videtur exhibere. Quo loco librorum memoria haec est:

„*Harundinem fert sportulamque et hamum piscarium.*"

hamum A : hamulum B.

Aegre dubitari mihi quidem videtur posse, quin in archetypo atque etiam in p 2 libro fuerit *hamum, hamulum* sit codicis B coniectura; quae quidem facile fieri poterat, cum praecederet *sportulam* deminutivum. Namque per coniecturam, non per contaminationem ortam esse scripturam eo veri videtur simillimum, quod falsa est neque ullo modo id quod habuit archetypus — *hamum* dico — mutari debet. Est enim apud omnes fere scriptores Latinos [16])

[16]) Locos, quibus apud scriptores Latinos inveniuntur *hamulus, piscarius, piscatorius* vocabula, e Thesauri schedis exscripsit mihique misit W. Matzkow, una mecum sodalis quondam seminarii Berolinensis; pro qua opera liberaliter sumpta meritas ago gratias.

— obstat autem unus Apulei locus, de quo statim — *hamus* nomen proprium illius instrumenti, quo piscatores uti solent; quo nomine etiam Plautus utitur in Rudente (984), cum dicit: „*ubi demisi rete atque hamum*“, et in Curculione (431): „*meus hic est, hamum vorat*“ et compluribus aliis locis, quos facile, si evolvas Lexicon Plautinum, invenias [17]). Contra *hamuli* vocabulum nusquam scriptum reperio nisi apud Celsum aliquotiens [18]), ubi semper significat instrumentum quoddam chirurgicum re vera minutissimum, et apud Apuleium uno loco (Apol. 32), ubi γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, quod est apud Homerum, Latine reddit *flexis hamulis;* qui locus ideo fortasse minoris momenti est, quia de Graeco verba translata sunt. Tamen, quoniam F. Conrad [19]) exemplis evicit multas Plautum saepe voces deminutivas quae dicuntur adhibuisse, quae apud ceteros scriptores Latinos non inveniantur — has autem ipsas voces re vera plerumque non deminutivae notionis esse sed varios personae loquentis animi affectus indicare, nonnumquam etiam numeri causa a poeta usurpatos esse — deminutivum singulare quamvis coniectura substitum haud scio an probare liceat. Sed auget suspicionem, quod id quod sequitur adiectivum *piscarium* minus ad *hami* vel *hamuli* substantivum aptum est. Nam *piscarium* est proprie, quod ad pisces attinet, non ad piscandum; velut *surpicula piscaria* (Cap 816) — haec enim videntur esse fiscinae, quibus pisces portantur, non, ut vulgo scriptum est in lexicis, quibus ad pisces captandos piscatores utuntur — vel *copia piscaria* (Cas 499) i. e. copia varii generis piscium. Idem significare vocabulum videmus apud Apuleium in Apologia (42), qui dicit *argumentum piscarium* i. e. a piscibus sumptum. Isidorus autem episcopus in differentiarum libro primo (Migne 83 col. 57.): *Piscator est qui capit, piscarius qui vendit* (cf. Thes. gloss. emend. II 91 = Corp. gloss. VII p. 91). At quidquid ad piscandum usui est seu quod usurpant piscatores, id vocatur *piscatorium.* Cuius usus exempla sunt haec:

Piscatoria vocantur apud scriptores Latinos:

a) Instrumenta:

* *vasi genus* Paul. e Festo p. 169 Mue [20]) *harundo* Plin. n. h. XVI

---

[17]) Lex. Plaut. I p. 667., s. v. *hamus.*

[18]) Cels VI 7, 9 VII 7, 4. 5. 7 VII 12, 2. 5 VII 20, 4 VII 30, 3 VII 31, 2. 3

[19]) F. Conrad, Die Deminutiva im Altlatein, Glotta XIX ⟨1930⟩ p. 127 sqq. XX ⟨1931⟩ p. 74 sqq.

[20]) Asterisco ⟨*⟩ notavimus eos locos, quibus verba in codicibus corrupta divinando a recentioribus sanata sunt. Velut hoc loco: „*Nassa est piscatoria vasi genus*“ codex exhibet; *piscatorium,* cum in seminario Berolinensi de hoc loco disputaremus, coniecit H. Hohensee, studiorum sodalis optumus; *piscatorii* Müller minus apte.

172 (opp. *aucupatoria*) *lina* ibid. XXIV 65 *iaculum* Vindic. Med. 25 *telum* Augustin. c. Crescon. III 78,89 (= C S E L LII 493, 22; de tridente dicit) *setae* Eustath. Bas. hex. VIII 7 (= Migne LIII p. 953 A.)

b) Vehicula:

cumba Afran. com. frgm. 138 (Ribb.) *navis* (. . *es*) Caes b. c. II 4, 2 Liv. XXIII 1, 8 XXV 23, 6 Aurel. Victor. v. ill. XXXVII, 3 *navigium* Quint. inst. or. VI 3, 41 *navicula* Plin. ep. III 16,9 Non. XIII p. 533 M *scapha* Justin. II 13, 9 * *lenunculi* Amm. Marc. XIV 2, 10.

c) Varia:

aes Fest. p. 210 Mue *ludi* ibid. *casa* Petron. sat. 115 *mensa* Porphyrio ad Hor. serm. II 4, 37 *artificum* Lact. inst. V 2, 17 (*piscatoria* sc. *ars* Schol. Juv. 1, 155; cf. Thes. gloss. emend. s. v.)

Ceterum forum, ubi piscatores praedam vendere solent, aut a piscibus vocatur *forum piscarium* (Cu 474 Varro de l. L. V 145) aut ab iis qui vendunt *piscatorium forum* (Liv. XXVI 27, 3 XL 51, 5 Columella VIII 17, 15).

Quae cum ita sint, B libri coniecturam non probandam existimamus atque ad hunc modum potius versum esse emendandum:

„*Harundinem fert sportulamque et hamum pisca⟨to⟩rium.*"

Sed ne forte nunc etiam dubites, num fieri potuerit, ut aetate Carolingica versus Plautinus numeri causa coniectura temptaretur, tertium habeas locum, quo non in B quidem, verum in η libro scilicet Veteris codicis aequali scriptura, ut numeri polirentur, videtur esse mutata. Quo loco, qui est in Menaechmis (1132), Ambrosianus exhibet versum septenarium:

„*O sal[ve, i]nspera[te], annis multis postquam* (i. e. *post quem*) *conspicor.*"

Hic, ut Ambrosianus, sic B quoque habet *annis multis*, quo fit, ut etiam in archetypo (α) et in p 2 libro hanc fuisse scripturam iudicandum sit. Sed η transmutatis verbis scripsit *multis annis;* quod nisi forte casu quodam putamus accidisse, necesse est ideo factum iudicemus, ut hiatus tolleretur. Concedo quidem hanc eo facilius verborum transpositionem fieri potuisse, quod *multum* adiectivum saepius praecedere substantivum suum quam insequi solet; tamen, nisi hiatus quoque offensioni fuisset, librarium vel correctorem versum corrigere vix ausurum fuisse crediderim.

Ceterum hic locus etiam propter B libri lectionem singularem

dignus est qui commemoretur. Namque in archetypo atque etiam in p 2 codice in fine versus scriptum fuisse *postquam conspicor* ex Ambrosiani et η libri colligitur consensu; B autem exhibet *postquem*, quae lectio singularis ita videtur exstitisse, ut in libro quodam, unde ortus sit B, depravata archetypi scriptura emendaretur *e* littera supra *a* scripta; qui liber cum exscriberetur, librarius litteram descripsit correctam, falsam verborum iuncturam servavit. Non igitur, si quidem ita res se habet, ex ipso p 2 Vetus codex descriptus est; quod quid valeat ad recensionem, infra [21]) ostendemus.

f) Ps 556.

Codicum hoc loco memoria haec est:

„*Clamore magno et multum flagitabere.*"

multum AC: *multom* B m 1 (*u* supra *o* addita) *multitudo* D.

In archetypo (α) apparet fuisse *multum;* quod idem exhibuerunt p 2 et η. Sed id quod est in B ita videtur ortum esse, ut in apographo quodam e p 2 libro ducto illud *multum* eo modo mutaretur, — quo iure, statim videbimus, — ut supra *um* litteras scriberetur *o;* quo facto non *multum*, sed *multo* sibi legendum videri corrector ille significavit. Haec autem littera quid sibi vellet cum parum intellexisset is, qui ex apographo rursus librum descripsit, *multom* illud, quod est in B, exstitit; quam supra scripturam *u* littera addita vel ipse librarius vel corrector aliquis — nam quis fuerit, incertum est — archetypi verba restituit. Confirmatur ergo, quod modo diximus, non ex ipso p 2 descriptum esse B codicem, sed eius esse quasi nepotem vel pronepotem; quo fit, ut minime necesse sit eas, quae sunt in B, emendationes sive coniecturas eiusdem esse librarii, qui codicem conscripsit. Immo ab eis quoque, qui priores fuerunt, factae esse possunt; atque hoc quidem eo magis videtur probabile, quod ipse B codex nimia quadam diligentia multas corruptelas reddit, quas emendare facillimum erat. Ceterum ea quae est in D singularis corruptela simili modo videtur orta esse atque ea quam exhibet B, cum prorsus confunderetur mutata scriptura cum pristina.

Restat, ut archetypi scripturam examinemus quidque de coniectura illa quae est *multo* — quam quidem recepit Scaliger — iudicandum sit videamus. Atque ut incipiamus a coniectura: Si Thesaurum evolvas [22]), reperies *multum* adiectivum *clamori* rarissime ut videtur attribui. Nam omnino duo proferuntur loci, quorum alter est apud

---

[21]) p. 15.

[22]) Thes. l. L. vol. III. 1257, 32 sqq.

Livium (I 39, 2), alter apud Hilarium (ad Const. 1, 8 [23]). Accedit unus Vergilii locus, qui est in Aeneide (IX 466). Quorum unoquoque *multus* vel *plurimus* clamor videtur varias vel creberrimas voces significare; Livius enim *plurimum* dicit ortum esse *clamorem*, quia *multorum in conspectu* prodigium factum essest; tum Vergilius, Rutulos, postquam Euryali et Nisi capita hastis praefixissent, *multo clamore* secutos esse; sc. num magnopere clament, nihil ad rem, sed hoc poeta ut videtur voluit dicere, undique militum clamores esse auditos. Hilarius autem: „*Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est.*" Ergo hoc de quo agimus loco si *multo* vera scriptura sit, Pseudolus minari videatur hominum sese multitudinem coacturum, quae seni convicium faciat; quae imaginatio ridicula sane et digna Plauto bene ad totum locum apta sit.

Sed illa quoque quae fuit in archetypo scriptura defendi potest. *Multum* enim adverbium plus triginta locis, *plurumum* novem locis apud Plautum verbis apponitur; semper autem — id quod elucet, si compares eos locos, quos collegerunt Allardice et Junks in Indice adverbiorum Plautinorum (s. v. *multum*), Lodge in Lexico Plautino (s. v. *plurimum*) — ita verbi vim solet augere, ut idem fere significet atque *valde* sive *magno opere*, nullo loco adhibeatur eo qui apud posteriores in usu est sensu temporali. Opportune autem accidit, quod ter apud Plautum *multum* coniungatur cum verbis ad contumelias pertinentibus, quorum in numero antiquissimis temporibus etiam *flagitandi* verbum fuisse docuit Usener [24]); qui loci sunt hi:

Ci 246: *Hercle te verberibus multum caedi oportere arbitror.*

Tri 68: *Malis te ut verbis multis multum obiurigem.*

Mi 1401: *Immo etiam prius verberetur fustibus. — Multum quidem.*

Aegre igitur negare licet eo quoque de quo agitur Pseudoli loco adverbium positum esse posse, quo indicetur vis *flagitandi*, aequale alteri illi locutioni adverbiali *clamore magno*. Nam *clamore*, si coniungatur cum *flagitandi* verbo, paene adverbii locum apud Plautum obtinere apparet ex his locis:

Men 46: *quia illum clamore vidi flagitarier.*

Ps. 1145: *sed tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro.*

Ep 118: *quin edepol egomet clamore differor difflagitor.*

Cf. etiam quod est in Curculione (683): „*clamore hominem posco*" et in Truculento (759): „*Iam hercle ego tibi, inlecebra, ludos faciam clamore in via.*

[23]) = C S E L vol. LXV. pars IV. p. 187, 5.
[24]) Mus. Rh. LVI (1901), p. 15.

Ergo quoniam archetypi scriptura defendi potest, coniecturam quamvis bonam, cuius in B libro vestigia apparent, non recipiendam iudicaverim.

g) Poe 964/5.

Libri hoc loco haec exhibent:

„. . . *si frugi esse vis,*

Eas liberali iam adseres causa manum."

manum A η: *manu* B.

Adserendi verbum apud Plautum occurrit undecies; semper additur *manus* substantivum, notio est *vindicandi in libertatem.* Quinque locis praesto est Ambrosianus; quorum uno — de quo nunc agimus — structura in archetypo videtur fuisse haec: *manum adserere aliquem;* altero (Poe 1348), quid in archetypo fuerit, dubium est, nam *adserere manu alqm* exhibet A, *manum alqm* Palatini; reliquis locis tribus (qui sunt Per 717 Poe 905 Ru 973) est aut *manu alqm adserere* aut passive *manu adseri.* Eis autem locis sex, quibus deest Ambrosianus, quater (Cu 491 668 709 Per 163) structura est *manu adserere alqm,* bis (Poe 1102 1392) *manum alqm.* Ergo cum in tertia fere locorum parte existat *manum adserere aliquem,* num hoc quoque Plautus dicere potuerit, quaerendum est.

Manu adserere aliquem praeter Plautum dicit etiam Terentius uno loco qui est in Adelphis (194); alias locutionem non invenio scriptam. Sed etiam *manum adserere alicui* in usu fuisse discimus e Festo Pauli, qui dicit (p. 25. Mue): „*Adserere manum est admovere* et (p. 340): „*Sertorem quidam dictum putant a prendendo, quia cum cuipiam adserat manum educendi eius gratia ex servitute in libertatem vocetur adsertor.*" Cf. etiam Varronis locum quendam, qui est in sexto de lingua Latina libro; quo loco desperato (VI 64) bis occurrit *adserere manum.* Quid, quod etiam Osci dixerunt *manim aserom* (Tab. Bant. V 24) i. e. *manum asserere?* Ergo quare Plautum dicere nequivisse putemus *manum asserere,* quod compluribus locis traditum est, licet alicubi dicat *manu asserere,* non video.

Sed offendit accusativus personae casus; expectamus enim dativum, quo utitur Festus. At vide, ut *manum* etiam *iniciendi* locutionem, quia idem valeat atque *comprehendere aliquem* [25]), cum accusativo Plautus coniungat his locis:

---

[25]) Sic Lindsay (Syntax of Plautus p. 3.). Posis etiam dicere accusativum pendere ab *in* praepositione a qua incipit *iniciendi* verbum; item in eis quae sequuntur exemplis ab *ad* praepositione.

(Per 70) *„ubi quadrupulator quempiam iniexit manum“* — in proximo autem versu (71) dativo utitur:

„tandidem ille illi rursus iniciat manum“,

unde intellegitur nihil inter se duas illas structuras differre — et

(Tru 762) *„post id ego te manum iniciam“.*

Ceterum *iniciendi* verbum, id quod expectamus, alias apud Plautum sequi solet aut dativus personae casus aut *in* cum accusativo; cuius rei testimonia invenias in Lexico Plautino. Item Plautus ab *animum adiciendo* suspendit accusativum in Mercatore (334):

„. . . sed praecauto opust,
ne hic illam me animum adiecisse aliqua sentiat“;

id quod omnes scriptores Latini faciunt in *animum advertendi* verbo. Quibus structuris respondet ea, quae fuit hoc de quo agimus loco in archetypo, quae quidem non hoc modo loco, verum duobus vel tribus aliis in Poenulo scripta est. Ergo fieri potuisse, ut Plautus diceret *manum adserere alqm,* ideoque archetypi scripturam non esse mutandam crediderim.

Ceterum qui fecit eam quam habet B coniecturam, facile eo loco potuit adduci, qui est paulo ante hunc de quo agimus (905), ubi in omnibus libris scriptum est:

„. . . manu eas adserat,
suas popularis liberali causa.“

h) St 615.

Hoc loco A η libri exhibent: *„Quid agis, Gelasime?“* B autem solus pro *agis* habet *ais.* Quod quid valeat ut intellegamus, considerare, quid agatur in scaena, opus est.

Gelasimus parasitus cum frustra Pamphilippo, ut ad cenam vocaretur, persuadere conatus sit, iratus et omnia illi mala imprecatus sese avertit. Tum his de quibus agimus verbis appellatur ab altero fratrum scilicet hoc agente, ut ad ipsum parasitus animum advortat quaeque loquatur auscultet. Qui primum invitus, postquam edoctus est sua, quae ille dicere vellet, referre, animo commutato ad audiendum se comparat; id quod Epignomus alloquio voluit efficere. Unde elucet non eum: „*Quid* agis?“ verum: *„Quid ais?“* dixisse; his enim verbis appellari solent ii, quorum ad sese animum attendi velit is qui loquitur; quo fit, ut saepius eandem fere sententiam haec locutio videatur habere atque *„audin' tu?“* sive *„heus tu, te volo“.* Cuius usus cum in Thesauro [26]) satis invenias exemplorum, opus hic non est afferre.

[26]) Thes. l. L. vol. I. p. 1455, 55 sqq.

Recte ergo B libri scripturam hoc loco Acidalius videtur praetulisse. Sed varia lectio, ut in eo de quo supra disputavimus Mostellariae versu (786), sic videtur exstitisse, ut veram scripturam, quae est *ais*, haberent archetypus (α) et p 2 liber; quam servavit B, depravatam habet η eadem atque Ambrosianus ratione. Namque quam facile saeculo et quarto et nono *ais* corrumpi potuerit, intellegitur e Stichi versu quodam (596), qui est paulo ante eum de quo agimus, ubi *agis* falso iam archetypus exhibebat, *ais* restituit idem Acidalius; item e Menaechmorum loco quodam (1095), quo loco veram scripturam, quae est *ais*, exhibet η (A non legitur), B manu prima scriptum habet *agis;* intelligitur etiam e multis aliis locis, quibus mutatum in singulis libris est *ais* in *agis* et rursus *agis* in *ais*; quos omnes — sunt autem plus quindecim numero — prolatos invenias in Lexico Plautino [27]). Ceterum ex ipsa copia huius modi corruptelarum elucet eam quam habet B scripturam divinando vix illo tempore potuisse inveniri. Contaminationem vero librorum factam esse, cum ea quam modo ostendimus ratione facile, quo pacto lectionum varietas orta sit, explicari possit, hoc quoque loco minime videtur necessarium.

i) Minutiora.

Reliquum est, ut de locis quibusdam minutioribus paucis disseramus.

In Mercatore bis (292 304), cum et A et η liber exhibeant *Lysimache,* B servavit formam Plautinam *Lusimache,* i. e. et in A et in η codicem eadem ratione recentior nominis scriptura sese insinuavit; vetustiorem habuerant et archetypus (α) et p 2 liber. Sic enim his locis factum iudicaverim, quia noni saeculi librarium, etiamsi in altero quodam exemplari scriptum invenisset *Lusimache,* hanc formam rarissimam pro illa usitata recepturum fuisse parum videtur credibile. Eodem modo in eadem fabula (296) *rusum,* in Poenulo (1000) *rusus* scripturae servatae videntur in B, cum et A et η habeant *rursum* vel *rursus* formas magis usitatas. Contra in Rudente (570) Plautinam scripturam *baratrum* exhibent A et η, in B libro ad orthographiam Graecam mutatum videmus scriptum *barathrum.* Denique in Trinummo (371) veterem archetypi corruptelam, quae est *tolerabilis,* sanatam habet B, ubi scriptum est *tolerabis*; quae emendatio facile fieri poterat comparatis versibus 338. 358. Hoc unum mirum est, qui factum sit, ut corruptela illa insanissima inde ab archetypi aetate usque ad saeculum IX. duraret.

---

[27]) Lex. Plaut. I. p. 79. p. 85/6.

Hae sunt, quae quidem memoratu videntur dignae, B libri lectiones singulares; quas quidem ita existere potuisse docuimus, ut quattuor vel quinque locis (Mo 786 Mi 211? St 615 Mer 292 304) archetypi scriptura et in Ambrosiano et η libro uno eodemque modo corrupta servaretur in B codice, tribus autem vel quinque locis (Ba 482? Mi 211? 607/8 Men 1132 Tri 371) Plauti verba in archetypo depravata divinando restituerentur, sex locis (Mo 577 Men 242 St 289 Ps 556 Poe 954/5 Ru 570) nequiquam temptarentur. Contaminationis autem indica satis certa nusquam videmur repperisse. Haud ergo errabimus, si dicemus eas, quae divinatione potuerint inveniri, lectiones esse quasi vestigia operae viri cuiusdam docti — vel etiam complurium — saeculi fere noni, qui interdum in eo libro, qui fuit interpositus inter p 2 et B codices, cum inter legendum aliquid corrigendum putasset, coniecturas suas adscripserit. Nam ita factum esse, non continuo librum esse emendatum exiguo huius generis lectionum numero probatur. Ceterum in VIII fabulis, quae fluxerunt e p 1, continentur autem priore B libri parte, nihil tale occurrit; nimirum ille liber, unde B 1 descriptus est, plane diversus fuit ab eo qui fuit inter p 2 et B 2 neque talem qualem indicavimus eruditi lectoris operam expertus.

Reliquum est, ut, quantae scientiae fuerit ille quem investigavimus vir doctus, paucis adumbremus. Non multum valet, quod verborum corruptelae, quas quidem sentire quivis posset, duae (Men 1132 Tri 370) feliciter, una (Men 242) nequiquam coniectura temptatae sunt. Maioris momenti est, quod duos locos (Ps 556 Poe 964) ad eam quae videbatur normam grammaticam restituere conatus est. Quin etiam numerorum Plautinorum et senariorum et quadratorum illius aetatis homines aliquantum periti fuerunt (cf. Mo 577 Mi 607/8 St 289). Graecorum denique verborum orthographiam noverat is, qui in Rudente (570) pro *t* Plautina *th* posuit. —

Sed longe aliter egit is, qui B libri scripturam secunda manu corrigere studuit; de quo nunc paucis disseremus.

De B libri manu secunda.

B libri partem priorem inde ab Amphitruone usque ad Militis versum fere 740. a correctore quodam saepe emendatam, saepe etiam scripturam esse depravatam nemo eorum, qui de Plauti fabulis scripserunt, ignorat. Quem correctorem per VIII fabulas priores — quae fluxerunt e p 1 — altero exemplari usum esse post Oscarum Seyffert monuit Fr. Leo in praefatione editionis [28]); per reliquas autem fabu-

[28]) p. 4.

las IV — quae sunt Bacchides Mostellaria Menaechmi Miles — nullum codicem adhibitum esse idem vir clarissimus videtur censuisse, cum pergat: „*Sequentes scilicet fabulas usque ad Militem mediam corrector multis coniecturis emendavit, pluribus frustra temptavit.*" Sed aliter iudicaverat Fr. Ritschl, qui in ea praefatione quam ad Militem conscripsit, postquam de B libri scriptura disseruit, haec dicit: „*Scripturam secunda manus mutavit*" — sc. per Militem — „*ad talis codicis exemplum, qui ipsorum CD simillimus fuit; quo facile perspicitur, quoties vere correcta, toties fere magis corrupta Plauti verba esse. Verum in hoc non acquiescens eadem manus alia non pauca . . . nullo adhibito libro mutavit arbitratu suo nec raro infelicissime.*"

Haec illi; quorum neuter ad sententiam suam confirmandam attulit argumenta. Sed Leonem recte iudicare paulo post negavit O. Seyffert in illius editionis censura [30]) Ritschelii nisus testimonio. Tum Cl. Lindskog in Actis Universitatis Lundensis [31]) *de correcturis secundae manus in codice vetere Plautino* copiosissime egit; optime autem eo meruit, quod in altera commentationis parte numeris Arabicis signata ipso codice denuo comparato VIII priorum fabularum correcturas omnes, IV posteriorum eos saltem locos, ubi ipsius ab editorum lectio discrepat, tabulis accurate compositis collegit. Qui vir doctissimus ad Leonis de hac re redire videtur sententiam, cum dicit [32]) *si negetur hic quoque* (i. e. in IV fabulis posterioribus emendandis) *correctorem codicem illum summae praestantiae ante oculus habuisse,* — quod quidem ipse negat, quia primum *nullo loco versum vel sententiam . . . corrector inferre potuerit,* deinde quia *omnes iustae correcturae, omnia additamenta iusta, quae* B^2 *in his IV fabulis intulerit, prorsus eiusdem sint generis eiusdemque formae atque correcturae et additamenta falsa quae vel in his vel in octo prioribus intulerit,* — *si hoc,* inquit, *negetur, nullam esse rationem, cur multa verba de his lectionibus librarii temere conicientis faciamus.* Cui adversatus est idem O. Seyffert, qui monuit [33]), etiamsi codice illo praestantissimo uti corrector non potuerit, — sc. quia priores tantum eo fabulae continebantur, — tamen fieri potuisse, ut alium quendam librum posteriores fabulas exhibentem adhibuerit; quod re vera factum esse eo probari, quod Bacchidum versus 464. et

29) Mil. glor. ex rec. Friderici Ritschelii (Bonnae a. MDCCC XLIX) p. XIX/XX.
30) Berl. phil. Wochenschr. 1896, p. 813.
31) Lunds Univ. Arsscrift XXXVI (1900)
32) p. XXVII.
33) Berl. phil. Wochenschr. 1901, p. 206 sqq.

1047/8. in B¹ omnissi secunda manu suppleti sint. Item quod in Bacchidum v. 929. supra *pedibus* falso manu secunda scriptum sit *vel pelides* — quod idem supra scripserunt CD² — et in Militis v. 394. ad *perdent somnium* adscriptum m. sec. *praesentia omnia* — quod exhibent CD — his exemplis confirmari non de suo tantum ingenio correctorem rem gesisse.

Nunc nobis, quo plane tandem res absolveretur, de ea lubuit paulo amplius quaerere quidque iudicandum sit videre. Ea autem quae congessimus exempla de maiore illa editione sumpta, quam confecerunt Ritschelii discipuli ac socii, comparata autem cum Leonis editione, cum non obloquatur Lindskog — nam e posterioribus quidem fabulis, uti diximus, eos tantum locos in tabulis suis protulit, quibus ipsius lectio ab editorum discrepat — re vera ad secundae manus, non primariae vel tertiae scripturam pertinere ideoque, quin satis valeant ad iudicium faciendum, non esse dubitandum putavimus. Quibus exemplis evinci mihi quidem videtur recte Ritschelium rem intellexisse, cum certo demonstrari possit primum eum, qui per has fabulas B libri scripturam secunda manu studuit emendare, adhibuisse alterum codicem; deinde hunc alterum codicem eiusdem fuisse stirpis unde orti sunt CD, non B. Sed ipse quaeso videas.

Correctorem non omnia quae scripsit de suo ingenio sumpsisse, i. e. alterum codicem comparavisse inde elucet, quod compluribus locis verba a B¹ omissa, quae quidem divinando inveniri vix poterant, secunda manu suppleta sunt. Velut in Bacchidum v. 79. *desubito,* v. 745. *etiam* et *modo,* v. 748 *cito* a B¹ omissa secunda manus addidit; extant autem in reliquis Palatinis. Item in v. 873. *iam* in reliquis Palatinis servatum a correctore insertum est.. In Menaechmorum versibus 607/8. in B libro verba *tristis es* secunda manu addita sunt; quod supplementum verum esse mutila illa quam exhibuit η scriptura probatur, quae est *tris es.* In Militis versibus 173/4. verba *de tegulis,* quae exhibent A et paululum corrupta CD, omisit B¹, repetivit *que res palam est.* Quibus erasis B² recte supplevit *de tegulis,* quod omnino coniectura inveniri videtur non potuisse. In Mostellariae denique v. 316. *ibi* omisit B¹, addidit B²; quod si non exhiberet η, neminem opinor desideraturum fuisse.

Nonnumquam a B² adduntur etiam verba depravata, quae extant in reliquis Palatinis, velut his locis:

a) Mi 631. Veram scripturam, quae est *ab ingenio,* Nonius servavit. B¹ solum exhibet *ingenio,* B² addidit *ibi,* quod habet η.

b) Mi 724. Veram scripturam, quae est *usui est*, exhibet A. η videtur habuisse *uult*, quod servavit C, corrupit D, cum habeat *uule*. Sed *uult* a B^1 omissum supplevit B^2.

Uno vero loco, qui est in Bacchidibus (987), totum fere versum a B^1 omissum in margine secunda manus supplevit. Etiam in Milite versus 243. partem posteriorem, 244. partem priorem propter homoeoteleuton omissas secunda manu additas esse adnotat Goetz. Sed Leo in editione sua nullam huius rei mentionem fecit, unde videtur colligendum esse eum non secunda sed prima manu illa verba putasse suppleta esse. Ergo quoniam, qua res se habeat, discernere nequeamus, neglegendum potius hunc locum putavimus neque adhibendum esse argumento. Ceterum eos, quos attulit O. Seyffert, Bacchidum versus neque Goetz neque Leo secunda manu testantur additos esse; quocirca hi quoque minus ad rem probandam apti sunt.

Sed ne forte cogites correctorem eodem usum esse exemplari, unde B prima manu descriptus est: hunc alterum librum, de quo secundae manus supplementa petita esse exemplis probavimus, originem duxisse indidem unde orti sunt CD, non B, eo intellegitur, quod menda quoque singularia falsasque coniecturas, quae sunt in η, exhibet B^2. Cuius rei exempla sunt hi loci:

a) Men 759. Hoc loco A non legitur, B autem haec habet: „*Nam res plurimas pessimas, quam* (i. e. *quom*) *advenit, fert* (sc. *aetas*)“, quam scripturam veram esse metrum evincit. In C autem libro pro *fert* legitur *affert*, in D *adfert*, unde colligitur η codicem exhibuisse coniecturam — sive glossam mavis dicere — quae fuerit *affert*. Eadem autem scriptura in B secunda manu suppleta est.

b) Mi 274. B^1 pro *malam rem*, quod recte scriptum est in Ambrosiano, videtur habuisse *malam* (sive *malum*); η B^2 exhibent *alium*. In p 2 igitur libro casu omissum erat *rem*, mutilam scripturam reddidit B^1. Sed in η habemus coniecturam ingeniosam quidem et lepidam, sed a vera scriptura longe alienam; quam eandem exhibet B^2.

c) Mi 358. Hoc loco librorum memoria haec est:

Quid ais tu A: *quid astu* B^1 *quid asstas* D *quid stas* C *quid astas* B^2.

Quae lectionum varietas orta vix esse potest nisi sic, ut vera scriptura (quae est *quid ais tu*) in p 2 libro corrumperetur in *quid astu*. Hanc corruptelam servavit B^1, corrigere studuit η, cum *stas* supra *astu* scribendo *astas* legendum sibi videri significaret; quam coniecturam depravatam exhibet C, paene integram D, eandem B^2.

d) Mo 1070. Vera scriptura est:

„*Non ego illi extemplo hamum ostendam: sensim mittam lineam.*"

Hanc integram exhibet A, B¹ ita corruptam, ut scribat *itamum* pro *hamum.* Quae corruptela iam in p 2 libro fuit; nam inde pendet ea coniectura, quam habet η *(ita meum ostendam sensum).* Qua quamquam ea quae sequuntur verba *(mittam lineam)* plane obscura fiunt, tamen eandem exhibet B².

Casune hoc factum esse arbitrabimur, ut easdem saepius coniecturas exhibeat B² atque η? Quod minus etiam videbitur credibile, si considerabimus communes corruptelas singulares, quarum exempla sunt haec:

a) Men 778. Veram scripturam, quae est *velitati,* servaverunt Nonius et Paulus. Corruptam exhibet B¹ *(veliati),* magis etiam depravatam η; ibi enim scriptum fuit *velati,* quae eadem verbi forma prorsus inepta in B libro secunda manu substituta est.

b) Men 802 979. *Praehibendi* verbum, cum posteris temporibus contracta tantum verbi forma esset usitata, magis magisque ignotum videtur factum esse; itaque accidit, ut saepissime in codicibus corrumperetur. Quod his quoque de quibus agimus locis factum est in η libro; nam in priore versu, cum recte B¹ exhibeat *p̄hib&* (i. e. *praehibet*), in η scriptum fuit *ꝑhibent* (i. e. *perhibent*); postero autem loco, cum in B prima manu scriptum videamus *p̄hibeo,* η prorsus ineptam habuit scripturam, quae fuit *ꝓhibeo* (i. e. *prohibeo*). Quae eadem secunda manu scripta est in B, priore autem loco *ꝑhibet.*

c) Mi 30. Veram scripturam, quae est *transmineret,* habent A et ut videtur B¹, η autem et B² exhibent *transmitteret.* Quam scripturam ideo corruptelae loco duximus, quia facile *n* littera mutari poterat in *tt;* ceterum consulto quoque mutatum esse a librario vel correctore posse non negaverim, qui pro insolenti illo verbo *transmineret* — nusquam enim alias nisi hoc Plauti loco scriptum invenio — substitueret vocabulum magis usitatum. Sed utcumque res se habet, certe, ut reliquis quos attulimus locis, eo, quod eandem falsam lectionem singularem exhibent CD atque B², hanc scripturam e communi quadam origine ductum esse comprobatur.

d) Mo 760. Hoc loco AB codices habent *architectonem,* η autem *architectorem,* quod idem substituit B². Quae scripturae discrepantia quamvis exigua tamen magni mihi quidem momenti videtur esse ad id quod proposuimus demonstrandum. Nam quis, quaeso, corrector pro vera forma *architectonem* falsam illam atque corruptam *architec-*

torem supponeret nisi qui in altero libro scriptam repperisset? Quem quidem librum ortum fuisse indidem unde etiam CD codices lectionum consensus evincit. —

Satis mihi videor exemplorum protulisse quibus B libri correctorem codice eiusdem stirpis, cuius sunt CD, usum esse confirmetur. Sed de eis, quas ille de suo ingenio fecit, coniecturis agere non est in animo; sufficiat dixisse saepe p 2 libri, interdum etiam archetypi menda divinando correcta, saepe etiam ab illo nequiquam scripturam esse mutatem; plurimas autem coniecturas, et quae verae videantur et quae falsae, lepidas esse et haud exigui ingenii. Ceterum quis ille fuerit quoque modo factum sit, ut in media Milite fabula huius modi correcturae deficerent, vix unquam opinor fore ut exploretur.

Appendix.

Archetypum eorum, qui Palatini vocantur, Plauti librorum minusculis litteris exaratum fuisse his probatur exemplis (litteras inter se commutatas uncis inclusas addidimus; fabularum ordinem qualis est in Palatinis servavimus):

Amphitruo	770:	*proferto* $B^2 D^2$: *profecto* p 1	(r:c)
	793:	*cum* D^2: *tum* p 1	(c:t)
	1000:	*aspellam* Camerarius: *cispellam* D (. . a E) *scis pellam* B[1])	(a:ci)
Asinaria	69:	*nauclerico* Camerarius: *nauderio* p 1	(cl:d)
	356:	*dixi erum* Acidalius: *dixeram* p 1	(u:a)
	420:	*hunc* Itali: *hac* p 1	(u:a)
	478:	*male* Itali: *malo* p 1	(e:o)
	509:	*colere* E: *colore* p 1	(e:o)
	594:	*supremam* Turnebus: *suppremum* p 1	(a:u)
	771:	*pocla* B^2: *poda* p 1	(cl:d)
	844:	*at* Itali: *ac* p 1	(t:c)
Aulularia	60:	*certo* Francken: *certe* p 1	(o:e)
	78:	*longam* Scutarius: *longum* p 1	(a:u)
	740:	*esset* $B^2 V^2$: *esses* p 1	(t:s)
Captivi	72:	*aio* Camerarius: *clio* BD *(dio VE)*	(a:cl)
	689:	*clueas* B^2: *dueas* p 1 *(ducas VE)*	(cl:d)
Curculio	109:	*sine* Priscianus: *sino* p 1	(e:o)
	228:	*suam* Charisius, Nonius: *suum* p 1	(a:u)
	318:	*gramarum* Buecheler: *os amarum* p 1	(r:s)[2])
	528:	*decem* B^2: *dete(m)* p 1	(c:t)
Casina	354:	*mortuam* Ritschelius: *metuam* p 1	(o:e)
	640:	*percussit* A, cod. Turn: *percursit* p 1	(s:r)
	644:	*excitra tu* A: *execrata* p 1	(t:c, u:a)
Cistellaria	606:	*certe* Camerarius: *certo* p 1	(e:o)
	648:	*adglutinandam* I: *adglutinandum* p 1	(a:u)
	664:	*nos* Itali: *vos* p 1	(n:u)
Epidicus	58:	*nam* A: *num* p 1	(a:u)
	142:	*resolvat* Pylades: *resolvas* p 1	(t:s)

[1]) Sc. librarius emendare conatus corruptelam depravavit.
[2]) Sc. G:O maiuscularum litterarum confusio est.

	245:	*Strat[[h]]ippoclem* A: *Stratippodem* p 1	(cl:d)
	390:	*plurima* Pius: *plurimum* p 1	(a:u)
	545:	*incerte* A:*incerto* p 1	(e:o)
Bacchides	208:	*eam* Acidalius: *eum* p 2	(a:u)
	398:	*cum* Itali: *eum* p 2	(c:e)
	433:	*peccavisses* Itali: *peccavisset* p 2	(s:t)
	718:	*Pistoclero* B^2: *Pistoclere* p 2	(o:e)
	885:	*quid* Camerarius: *quia* p 2	(d:a)
	929:	*termento* Festus, A?: *tormento* p 2	(e:o)
Mostellaria	295:	*Philematium* Itali: *Philomatium* p 2	(e:o)
	421:	*opere* Itali: *ope te* p 2	(r:t)
	591:	*eripis* A: *eripit* p 2	(s:t)
	834:	*vellicat* A: *vellitat* p 2	(c:t)
	1079:	*vos* B^2 D^2: *vor* p 2	(s:r)
	1097:	*occupassis* B^2: *octupassis* p 2	(c:t)
	1106:	*intercedat* B^2: *intercedas* p 2	(t:s)
	1121:	*agito* B^2: *agite* p 2	(o:e)
Menaechmi	135:	*ecqua* B^2: *etqua* p 2	(c:t)
	175:	*diurnam* A: *diurnum* p 2	(a:u)
	412:	*falsa* Itali: *salsa* p 2	(f:s)
	625:	*rusum* Ritschelius: *rurum* p 2	(s:r)
	795:	*se* Acidalius: *te* p 2	(s:t)
	820:	*ais* B^2: *ait* p 2	(s:t)
Miles	98:	*exordiar* B^2 D^2: *exordiat* p 2	(r:t)
	236:	*istuc* B^2: *istue* p 2	(c:e)
	240:	*tam* B^2: *tum* p 2	(a:u)
	299:	*quid* B^2: *quia* p 2	(d:a)
	325:	*tum* B^2: *tam* p 2	(u:a)
	673:	*sumas* Camerarius: *sumat* p 2	(s:t)
	936:	*geras* Seyffert: *gerat* p 2	(s:t)
	968:	*pulchram* Pius: *pulchrum* p 2	(a:u)
	1166:	*d[ica]s* A: *dicat* p 2	(s:t)
	1426:	*testibus* A: *cestibus* p 2	(t:c)
Mercator	10:	*Macci Titi* Ritschelius: *mactici* B *matt.η*)	(c:t)
	59:	*convicium* Itali: *convirium* *η* (. . *iur.* B)	(c:r)
	92:	*his sic* Bothe: *isset* p 2	(c:t)
	273:	*vobeis* A: *nobis* p 2	(v:n)
	697:	*coquum* Itali: *coquam* p 2	(u:a)
	769:	*nolo* A: *volo* p 2	(n:v)
	941:	*rogito* Pius: *cogito* p 2	(r:c)

	965:	*cette* Camerarius: *certe* p 2	(t:r)
	1000:	*missas* Itali: *missus* p 2	(a:u)
	1023:	*praehibuerit* Camerarius: *prohib.* p 2	
Pseudolus	140:	*mavelis* A: *induellis* p 2	(m:in, a:d)
	147:	*ton[si]lia* A: *consilia* p 2	(t:c)
	662:	*volo* A: *nolo* p 2	(v:n)
	779:	*quid* Itali: *quia* p 2	(d:a)
Poenulus	104:	*postquam* Itali: *pesquam* p 2	(o:e)
	415:	*Collybisco*[[n]] A [4]) *Collabisco* p 2	(u:a)
	896:	*parvolas* A: *parudas* p 2	(ol:d)
	993:	*parseris* Priscianus: *parleris* p 2	(s:l)
Persa	79:	*opertae* Pylades: *oporte* p 2	(e:o)
	88:	*scutris* Camerarius: *stutris* p 2	(c:t)
	273:	*Paegnium* A: *paepnium* p 2	*(g:p)*
	431:	*omitte* A: *omitto* p 2	(e:o)
	525:	*promittis* A: *promittet* p 2	(s:t)
	550:	*perspexi* A: *prospexi* p 2	
Rudens	728:	*det* A: *do p 2*	(e:o)
	836:	*astato* Gruter: *astate* p 2	(o:e)
	995:	*rare* Charisius: *raro* p 2	(e:o)
	1022:	*fur sum* Itali: *furtum* p 2	(s:t)
	1120:	*postulat* Itali: *postulas* p 2	(t:s)
	1215:	*sit* Acidalius: *sis* p 2	(t:s)
Stichus	146:	*places* A: *placet* p 2	(s:t)
	186:	*promitte* A: *promitto* p 2	(e:o)
	378:	*tum* A: *tam* p 2	(u:a)
	423:	*aequ[om]* A: *accum* p 2	(e:c)
Trinummus	112	(cf. 771): *Seleuciam* Camerar. *Seleutiam* B (. . *ticam* η [4]))	(c:t)
	157:	*certe* Bothe: *certo* p 2	(e:o)
	442:	*te* A: *se* p 2	(t:s)
	493:	*aequo* A: *aeque* p 2	(o:e)
	944:	*alii di issi* Acidalius: *Calliclis(e)* p 2	(d:cl)
	1051:	*dederis* A: *dederit* p 2	(s:t)
	1068:	*fiet* A: *fies* p 2	(t:s)
Truculentus	15:	*reliquum* Merula: *reliquam* p 2	(u:a)
	88:	*eum* Itali: *cum* p 2	(e:c)
	163:	*quiescat* Bothe: *quiescas* p 2	(t:s)
	182:	*decuit* A: *docuit* p 2	(e:o)

[3]) Plautus *Collubisco* scripsit, quae scriptura servata est in Palatinis v. 170.
[4]) Scil. scripturam . . *tiam* confudit cum emendatione . . *ciam.*

184: *inlecebra* A: *inlecebru* p 2 (a:u)
230: *eum mittat* A: *cum mittas* p 2 (e:c, t:s)
377: *factum* A: *factam* p 2 (u:a)
514: *adduco* Ital.: *adduce* p 2 (o:e)

Accedit argumento, quod compluribus locis in omnibus Palatinis male verba separata traduntur; velut in Casina (932) pro *exeo hoc ornatu* BEV habent *sex eo cor natu.*

Notabile etiam est in Persae v. 233. *nunc* dittographiam, quam recte Bothius delevit, ex *hanc* oriri vix potuisse, nisi inter se commutarentur *a* et *u*. In eiusdem fabulae v. 829. eae corruptelae, quae sunt in libris pro vera scriptura quae est *cutem* (habet autem B *custem,* η *curtem*) sic videntur extitisse, ut in communi quadam origine fuerit *cusem* vel *curem,* supra *s* (vel *r*) litteram addita *t* littera, qua corruptela emendaretur; qua quidem ipsa corruptela minuscularum litterarum scriptura indicatur. Item quod est in Trinummo (36) monstrum vocabuli *conductibile* in Palatinis, id extitisse aegre potuit, nisi in Palatinorum origine scriptum erat *condutibile,* supra *t* litteram scripta *c*, ut emendaretur corruptela; qua item minusculae litterae indicantur. Denique quae sunt in Truculenti v. 37. pro *si inierit* corruptelae *(siniecit* B *sinietit* η*)*, eae ortae putandae sunt ex *r* litterae scriptura minuscula.

Vita.

H.-E. Wilhelm Berolini natus sum anno p. Chr. n. MCMVII. a. d. X. Kal. Oct. Fidem profiteor evangelicam. Pater fuit Alfredus mercator, pietate ac fide pariter insignis, qui quidem proxime ex hac vita decessit in ipso fere limine senectutis; matrem Ernam e gente Otto e tanto maerore ac luctu superstitem esse gaudeo. Sex annos natus patriae urbis gymnasium quod dicunt Leibnizianum frequentare coepi; unde peracta disciplina dimissus ineunte hieme anni MCMXXV. ad litterarum universitatem Berolinensem me contuli. Tertio anno post per aestatem Marpurgi Chattorum versatus sum, unde proxima hieme in patriam urbem reversus litterarum studia sum persecutus.

Operam praecique dedi Graecorum Romanorumque antiquitati, de qua disserentes audivi hos viros clarissimos atque doctissimos: Fr. Beckmann nunc Monasteriensem, L. Deubner, W. Jaeger, P. Maas nunc Regimontanum, F. Noack †, E. Norden, W. Schulze, U. de Wilamowitz-Moellendorff † Berolinenses, P. Friedlaender, E. Lommatzsch Marpurgenses. Praeterea primo studui litteris Germanicis, de quibus disputaverunt viri clarissimi M. Herrmann, G. Neckel, G. Roethe †, tum theologiae, quam me docuerunt viri maxime reverendi A. Deißmann, A. de Harnack †, Jo. Lietzmann, E. Sellin. Philosophos audivi Marpurgi D. Mahnke, Berolini H. Maier, F. J. Schmidt, E. Spranger.

Proseminarii philologici Berolinensis sodalis ordinarius fui per duos annos, seminarii Marpurgensis per semestre tempus, Berolinensis per annum. Proseminarii philosophici Berolinensis exercitiis per semestre tempus interfui moderante B. Rieffert. Praeterea ad exercitia historica benigne me admisit U. Wilcken, philosophica K. Hildebrandt. Quibus omnibus meritas ago gratias, imprimis Eduardo Norden, cuius benevolentia in hac dissertatione conficienda non mediocriter adiutus sum.

Pro facultate pueros docendi examen publicum superavi mense Junio anni MCMXXXI. Nunc in patriae urbis gymnasio Ascanio studiorum referendarii munere fungor.